



Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno CCCCLI. ad annum CCCCLXXV.

Parisiis, 1644

LV. Epistola Episcoporum Dardaniæ, Ad Leonem Imperatorem. Domino
piissimo & inuictissimo, atque Christianissimo, perpetuo Augusto,
imperatori Leoni, Vrsilius, Dalmatius & Maximus, episcopi vestræ ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-14887

EPISTOLA

EPISCOPORVM DARDANIAE,
AD LEONEM IMPERATOREM.

*Domino piissimo & inuidissimo, atque Christianissimo, perpetuo
Augusto, imperatori Leoni, Vrſilius, Dalmatius & Ma-
ximus, episcopi vestræ Dardanæ.*

Et agnouimus & inuenimus in lectione imperii vestri, Saluatoris Dei iudicium, & quia virtute sua cunctas regno vestro subdidit barbaras nationes, & per vos eius pietas firma inuiolabilisque consistit, & vt nemo præsumat apud pium imperatorem aliquid iniquum petulantia scelerata függerere: quia sicut in sua pace omnia diuina consistunt, ita nihil sacramentorum Dei per fidem tranquillitatis vestræ humana varietate mutatur. Quid enim ita præceps est, aut sic impium poterit iudicari, quam crederé pietatem fidei terminis apostolicis communiam, innumerabilibus sacerdotibus & omnibus sanctarum scripturarum testimoniosis roboratam, nec non & decretis Nicæni Calchedonensisque Concilii iudicio confirmatam, inanibus & profanis præsumptionibus posse violari, dum ad omnem perfectionem catholicæ fidei sapientissimi Salomonis doctrina sufficiat? Ait enim: *Sentite de Domino in bonitate, & in simplicitate cordis querite eum.* Quid ergo pessima calliditate nequitia faciet, cui ultra bonitatem nequaquam licet excedere? Sed sicut ostenderunt literæ mex humiliati directa, hæc Timotheus respuisse dinoſcitur, qui episcopatum ambiens, episcopi morte percepit. quapropter aliorum scelus eius ruina factum est, & in fraterno Concilio non vocatur, quando fratris necator esse cognoscitur; vtique a reuerendæ memoria Proterio, quantum ad fidem eius, in nullo laſus: cuius tali morte hic ordinatus, vestræ tranquillitatis iudicio nullum poterit eius gradus habere robur. Igitur religio vestræ pietati commissa ab æterno Deo, inuidissime principum, conseruetur: eius clementia imperium quod vobis collatum est, in omni gloria longa ætate minatur. Et sicut vestræ mansuetudo diuina propitiatione

contini-

Sapien. 1.

LEO CALCHEDONENSE. VALENTIN. MARCIANVS IMPP. 377
P.L.

ANNO CHRISTI 450.
continuis temporibus custoditur, sic & sacra mysteria nullorum scelestis præsumptionibus vulnerentur, sed pietatis vestræ laboribus pax mundo collata, in sua soliditate intransgressibili pietate seruetur.

Vrsilius episcopus Dardanæ, in columem tranquillitatem tuam pro pace mundi & catholicis ecclesiis, multis annis virtus æterna custodiat, domine piissime & inuidissime, perpetue Auguste.

Dalmatius episcopus Nentinæ, similiter.

Maximus episcopus Diocletianensis, similiter.

L VI.

EPISTOLA EPISCOPORVM METROPOLIS CORINTHI, AD LEONEM IMPERATOREM.

Piissimo & inuidissimo domino totius terrarum orbis, & Christianissimo imperatori Leoni, Petrus episcopus metropolis Corinthi, & reliqui episcopi reuerendissimi sub me constituti, Athanasius, Rufinus, Alexander, Candidus, Agatherus, Alexander, Architimus, Cyriacus, Thales, Domitius, Hosius, Constantinus, Ifigius, Ioannes, Athanasius, Timotheus, Aphobius, Zoilus, Plutarchus, Gerontius, in Domino salutem.

IN omnibus quidem, quibus propter religiosum imperium vestrum respublica bene regitur, omnium Dominus glorificatur Christus; præcipue autem in quibus orthodoxæ fidei inconcussa iura seruare studet vestra tranquillitas: pro quibus sancta & adoranda Trinitas intentionem vestram remunerans, & victorias de inimicis, & omnia sicut optatis præbuit, & præbebit vestræ pietatis imperio. Vnde vero dignata est nobis scribere vestra tranquillitas, & aperte iussit nostram manifestare sententiam, hæc pietatis vestræ potentiaz declaramus, quia ea quæ a Calchedonensi sancto & vniuersali Concilio definita sunt, tamquam sanctis Synodis præcedentibus consona, & in nullo contraria, aut sanctorum trecentorum decem & octo patrum Nicæno Concilio, aut Constantiopolitano centum quinquaginta, aut Ephesio sub beatæ memorie Cyrillo celebrato, omnibus sententiis manere immutata decreuimus. Nihil enim dubium in eadem

Concil. Tom. 9.

B b b